QVÆSTIO MEDICA;
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. MENSIS DECEMBRIS,
MAGISTRO IOANNE DV CLEDAT DOCTORE MEDICO MODERATORE.

659.

An ab ortu surdi, etiam muti?

RERVM omnium Sympathia est, cælestium cum elementaribus, sensu carentium cum animatis, animatorum adinuicem: pro vario solis positu & aspectu alij procero corpore homines, vt in zona torrida, alij vitæ longioris, vt in frigida nascuntur, nec omnis fert omnia tellus. Audaces alit Gallia & eloquentes, stupidos Germania, Hispania superbos. Totus homo harmonia est ex reciproca partium, actionũ, officiorũ consonãtia: Tanta cerebri & ventriculi coniunctio vt à sumpto multo croco lethalis in risus speciem conuulsio sequatur: Thoracis & testium, stomachi & renum, brachij & diaphragmatis, calcanei & quartæ lumborum vertebræ consensus admirabilis.

SENSVVM mutua syntimoria, quatuor internorum cum quinque externis, externorum πρὸς ἀλλήλους. Ex his nobilior visus fit per specierum receptionẽ: vtilior post tactum auditus celeritate anteuertit olfactum, quo solo nutriri animalia credibile non est, cùm ad alimentum explorandum gustus inseruiat: huic pro organo lingua data est, spongioso suo corpore bifido potiùs quàm membrana sua rerum omnium sapores ac temperamenta distinguens: Est & organum articulatæ vocis lingua tam in brutis quàm in hominibus, cuius tanta coniunctio est cum aure, vt ab hac in illam vitia interdum transfundantur.

INGENS auris noxa κώφωσις, insignis linguæ calamitas [illegible], præsertim mulieribus quibus, vt mens, sic lingua volubilior. Κωφώσει aër externus à soni qualitate affectus vicinum aërem alterans, & hic atque alium donec aurem pertingat, & in meatum ἀκουστικὸν sese insinuet nullo modo percipitur, tympanum licèt pulset, ossicula tria moueat, & ingenito aëri commisceatur: Neruus quippe coniugationis quintæ solidus, vt cæteri, contracta ex semine aut materno sanguine praua διαθέσει, soni speciem ad cerebrum (quod omni sua parte principum functionum sedes est) deferre non valet.

MVTITATE perit φωνὴ, φῶς τοῦ νοῦ, ætatis, temperamenti, sexus index: vocis instrumenta varia, labia, dentes, palatum, epiglottis, glottis, larynx, columella, aspera arteria, pulmo, nares, præcipuum sermonis organum lingua, cui motus & flexus ad miraculum multiplices à natura concessi. Vt à linguæ colore, sapore, motu, alijsque accidentibus sanitatis & morbi signa repetuntur: sic à voce acuta, graui, magna, parua, leui, aspera, longa, breui, tenebrosa, tremula, tarda, clangosa, rauca, &c. partium vocalium & interdum totius corporis διαθέσεις deprehenduntur.

GRAVE malum cùm linguam occupat mutitas, eluibilis tamen aliquando, nisi cum surditate ab ortu nata oboriatur. Non quod nullam διάλεκτον addidicerunt, surdi etiam muti fiunt, sed ob κοινωνίαν partium vocalium & auditui inseruientium: Decipiuntur qui neruos quintæ ac septimæ συζυγίας censent in exortu suo eadem tunica indutos. Neruus quintæ coniugationis maiori surculo ad aurem distributo, minori sua portione per canaliculum deuectus in fauces delabitur, transmissis propaginibus partim ad nares & buccas, partim ad radicem dentium, linguam, & laryngem. Praua igitur διαθέσει correptus ille neruus vt soni species ad cerebrum non deferens surdos facit, sic vocis organa præpediens mutos.

Ergo ab ortu surdi, etiam muti. 106.

Proponebat Lutetiæ ANTHONIVS SVART Cenomanus, Anno R. S. H. M.DC.XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. IACOBVS ADAM.	M. PETRVS LE CONTE.	M. MICHAEL DE LA VIGNE.
M. CLAVDIVS DE POIS.	M. ÆGIDIVS LE BLANC.	M. IACOBVS PERREAV.
M. IOANNES MARTIN. P.R.	M. GVLIELMVS DE VAILLY.	M. FRANCISCVS L'ESPICIER.